



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118790**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)



## PRÆFATIO.

**O**economicis, quæ pro impositi Officii ratione me totum sibi per triennium vendicabant, curis interruptæ Historiæ Ecclesiasticæ laborem, nactò otio an resumerem, vel aptiori calamo relinquerem, dudum anceps valde hærebam, ac diu mecum ipse luctabar. Absterrebat primo operis difficultas, cui superandæ non modo ingenii mei tenuitas, viriunque imbecillitas impar esse videbatur. Haud parum quoque repugnantia crescebat potissima ex parte ex ipso depravato Historiæ Ecclesiæ statu: cum enim hucusque per aliquot annos desudato ad Cleontæ lampadem labore ac studio Historicis veritatibus indagandis animum adjecissem, plane satque luculenter apprehendi, quod Historia Ecclesiastica a duobus abhinc sæculis & amplius tam ambiguae fidei, & tantopere Scriptorum vitio sit adulterata & depravata, ut magna illius pars fabulis, falsitatibus, & corruptis relationibus scaeteat, & quod pejus est, eadem hæc falsitates, invalescente ejusmodi Scriptorum numero & auctoritate, tam profundas egerint radices, ut illæ sine ulla hæsitazione, falsique suspicione in Lectoribus non paucis veritatis possessionem sibi vendicent, jura arrogant, atque usurpent. Quæ autem hujus mali radix & origo, quam impudens partium studium, quo nonnulli nequiter abrepti,

abrepti, ut suæ familiæ, gentis, patriæ, sectæ, Societatis vel Instituti decus, & splendorem vindicarent, vel auferent, vel sinistri, parumque honorifici eventus maculam, aut infamiam a suis Majoribus vel Corpore vel Instituto, cuius membra sunt, abstergerent, & in posterorum memoria delerent, primigenios etiam Historiæ fontes aut corruerunt, aut falsa relatione aut veri suppressione, & etiam quandoque interdicto importune ac subdole extorto obturarunt? Accidit forte, quod ante ducentos annos unus, vel plures ejusdem Societatis, Congregationis, aut familiæ Sacræ vel profanæ gesserint aliqua præpostera, commiserint defectus in Annalibus Historicisque commentariis nigro lapillo notandos: tum hujus familiæ Socius unus alterve mox calamum arripuit, etsi tum quidem ejusmodi probrosum facinus omnino negare ausus non fuerit, nimis recenti adhuc ejus memoria, aliisque integra fide id referentibus, præterfluxere tamen vix octo vel decem annorum intervalla, cum jamjam e Regione longinqua, plures erumperent ejusmodi Instituti Scriptores, qui primo in sua Historia alieno idiomate edita idem facinus vel tanquam dubium, dubiæque fidei exposuerunt, vel confictis variis circumstantiis enormitatem criminis ita temperarunt, vel excusarunt, ut pene virtutis opus fuisse crederetur: alii hanc labem interpretationis benignæ pallio contegere, & non raro culpam in alios rejicere, fatumque suum non minus subdole, quam caute per emissarios in vulgus spargere non dubitarunt,

runt, non sine aliquo sui consilii proventu; cum potissimi de inquirendo vero fonte parum solliciti, jamjam de facti antea lecti vel auditi veritate dubitare incæperint.

Hujus primi ausus felicitate animati, audacioresque facti, evoluta plurium annorum curriculo jam in variis Regionibus, plures ejusdem Instituti vel Societatis Scriptores telam bene exorsam pertexere aggrediuntur, ac primi sui Auctoris non ita pridem editi auctoritatem & verba allegantes, novaque monumenta fingentes, diversis linguis libros edunt, in quibus totum factum negant, longe aliter exponunt, cuncta in suum suorumque favorem detorquent, coevos Aucthores, cum horum paucissimos esse sciant, falsitatis, invidiæ, odii, ignorantiae, simplicitatis & oscitantiae insimulant, & de genuini facti veritate mendosa sua relatione triumphant, approbationis & licentiæ, quam suis libris præfigunt, & forte etiam privilegii, quod extorserrunt, auctoritate suffulti.

Tandem novissimi Scriptores, cum spurium hunc partum obstetricante ejusmodi dolo ac fraude in lucem fuisse editam vel ignorarent, vel ignorare simularent, Universum Orbem tam innumeris libris idem factum, ab anterioribus corruptum, recensentibus inundant, ut prævalente eorum potentia, numero & auctoritate, necnon ejusmodi libros ubique divulgandi facilitate ac dexteritate, nullus de talis eventus veritate dubitare audeat; unde oritur, ut plerique libere oppositam veram, quæ forte adhuc superest, relationem

lationem tanquam fabulam exsibilent, & velut calumniam in hujus Instituti vel Familiæ odium nequiter divulgatam detestentur: alii quoque exteri Scriptores in fide priorum peccantes & vervecini gregis more illos cæca & quandoque stupida credulitate sequentes, passim in suis Historiis eadem, quæ ex corruptis hisce fontibus hauserunt, absque omni falsitatis suspitione diffundant: non desunt etiam Scriptores, qui eodem tempore sat opportune privatas talis Instituti Historias edunt, in quibus horum, quorum malefacta ingenue primitus fuere descripta, vitas edunt, & de iis nonnisi heroica gesta, virtutum exempla, injuste perpeffas vexationes, exantlatos pro honore Dei, Ecclesiæ, & Reipublicæ labores immensos, necnon Sanctitatis prodigia magnificis verbis, plenisque buccis enarrant & deprædicant, Si vero quisquam Religione ductus, ac delusæ Reipublicæ literariæ, veritatisque corruptæ sortem misertus, coevi ac integri Scriptoris librum, fidemque opponere, atque ex eo hosce recentiores Authores falsitatis redarguere, & convincere præsumpserit, quid aliud exspectare poterit, nisi quod ejus liber vel configatur, vel millenis dicteriiis, satyris, & apologiis mordacibus obruatur, atque in suo veluti partu suffocetur, ipse vero Author velut innoxii, inclyti atque inculpati Instituti juratus hostis, calumniator, imo & Hæreticorum fautor ore & calamo diffametur?

Porro has falsitates sensim authorizandi artes, quantum novioribus nostris temporibus in-

valuerint, non semel ordinata Scriptorum serie usque ad primigenium fontem, coevumque authorem accurate decursa deprehendi. Quam lethale autem vulnus exinde Historiæ Ecclesiasticæ integritati per hosce Viros fuerit inflatum, mecum deplorabunt illi, quos impigro studio in æqualia falsitatum ac depravationum exempla inquirere non pigebit. Quot igitur difficultatibus, quot periculis, invidiis, & inimicis sese exponit ille, qui hodierno ævo ingenua styli libertate veritatis patrocinium adversus hosce falsarios in se suscipere aggreditur. Hæc ipsa nec infima erat difficultas, quæ me diu ancipitem tenuit.

Huic insuper accessit ponderata rerum memorandarum gravitas, frequentia, ac gestorum, eventuumque concursus, quorum ingenua narratio alterutri parti infesta esse posset: hæc ratio haud immerito abserrere potest illum, qui una ex parte nullum offendere, ac neminem lædere desiderat, ex altera vero probati Historici leges non ignorat, vi quarum facti veritatem ingenue, & ut dicam, audacter proferre tenetur; sicut enim ex odio falsum dicere, nefas foret, ita & verum ex privato amicitiae studio aut displicendi formidine dissimulare, in Historico turpe est. Hæc pluresque aliae rationes Fleurii Abbatis Historiam, cujus continuationem ab anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto ante initium Augustani Conventus mei Regimen prosecutus sum, ad subsequens sæculum usque protendere dissuadebant. Ex

Ex adverso urgebant Literatorum non pauci, qui ad *Fleuriacæ Historiæ* normam totum opus tandem absolvi, atque ad ætatis nostræ seriè protendi exoptabant, necnon ultra meritum in me confisi impense petebant, ut ad interruptam hæcenus *Historiam*, quæ a nullo alio hucusque alibi continuata fuit, me reciperem, huicque labori succisivam saltem, præter alias curas, operam dicarem: Reluctanti quoque calcæ addidere, qui pro sua humanitate ac benevolentia laborem meum, quem per plures annos in eadem hac *Historia* tam latinitate donanda, quam prosequenda impenderam, æquibonique consulere.

Superanda adhuc erat formido, ne alio ex capite nonnullorum offensionem, aliorum odia, quorundam invidias, criminationes, atque infestas multorum censuras mihi accerferem; quo vicinius enim *Historia* ad nostrum progreditur ævum, eo plura occurrunt de variis Nationibus, familiis, Societatibus, Institutis, Sectis & Homimibus gesta & eventus, quorum memoriam refricare, ac mundi Theatro per recentem narrationem introducere, sicut scribentis modestia quodammodo refugit, ita introductorum posteritas non sine dolore concoquit. Quis enim non optaret æterna potius nocte premi, atque ad omnis lucis desperationem obvelari ea, quæ vel ex gente sua, patria, vel Instituto nonnulli gessere præpostera? Quis ergo Genitorum seditiones, homicidia, fraudes, prava exempla, perversasque

doctrinas ea, quæ decet, *Historicum*, sinceritate referet, quin filiis, sociisque displiceat *superstitibus*? silere autem, aut cum veritatis dispendio ea excusare, *Historico* propudiosum, in medium proferre, invidiosum est *Scriptori*: Sensim tamen hunc quoque offensionis lapidem, timoremque submovere cœperam, spe fretus, quod etiam in illis, quibus talium narratio minus grata accidere posset, eorum prudentia moderationem allatura sit; nec enim ea sunt recens adinventata vel excogitata, sed ab aliis bono ex fine jamjam ad posteros translata; minus vero offendendi animo, sed veritatis studio narrata. Quis prudens *Lector* cujuscunque demum conditionis, status, aut *Instituti* sit, ejusmodi *Scriptori* succensere poterit, si perpendat, quod *Historicus*, qui posteritati deservire tenetur, simul temporis ac *Personis* placere nec debeat, nec possit? quem latere minime potest præcipua *Historici* Lex, ut non modo verum scribat, sed & verum scribere audeat? nudam enim veritatem *Luci* publicæ exponere obstringitur, soli autem moderate libertati datum est, imo proprium est cognoscere, & palam facere veritatem, hanc si tollas *Historico* Libertatem, veritati eruis oculos, librisque adimis vitam, qua alias animati genuina mortuorum gesta ad posteros, atque immortalem pene vitam transferre possent, eo fine, ut *Viventes* ex malis etiam mortuorum gestis vitia abhorrere, atque ex bene gestis virtutes imitari discant. Si e contrario *Hi-*  
*storici*



historici libertas vel restricta est, vel potentum timore, partium studio, vel in recensendis Scholæ controversiis Magistrorum, haustæque doctrinæ præjudiciis, aut in describendis Nationum litigiis Principum, suorumque popularium formidine vel affectu, aut demum Instituti vel Societatis illius, cujus membrum est, defendendæ studio, tunc ejusmodi Historicus in eam detrudetur necessitatem, ut vel ad turpe silentium, vel ad propudiosam adulationem descendat, ac nonnisi ægerrime declinare valeat, quin non organum erroris factum ad falsitatis scopulos allidat, & conterratur, posterosque eo destituat proventu, quo mores suos ex genuina Historiæ Lectione probe instituere possent.

Ut vero Historicus, quantum humana patitur imbecillitas, omnibus hisce præjudiciis exutum habeat animum, plane oporteret, ut nulli patriam, nullumque haberet amicum præter veritatem: considerare deberet, quod nullum Corpus, seu Communitas, nulla regiminis norma, nulla Instituti ratio hodiedum suæque ævo sit eadem, qualis olim fuit, & qualis longiori temporis progressu erit; nunc mutata est, & postea mutabitur, qui hodie velut solis radii splendescunt, cras extinguentur, & velut fumus evanescent: Cuncta ergo antea facta ad posteros ita transferre oportet, quin proposita nuda veritate illorum, quibuscum vivimus, odium timeamus, vel amicitiam favoremque queramus; licet enim veritas odium patriat.

riat, licet ea, quæ vera enuntiamus, non omnibus placeant, non tamen displicebunt illis, qui post nos sequentur, & quos animi celsitudo, mentis æquitas, ac iudicii maturitas ejusmodi præjudiciis superiores efficit.

Enimvero illi, qui ab Historico legitimam scribendi licentiam, honestumque criticæ animadversionis aculeum eliminare volunt, opposito conatu non raro effrænem dicendi, scribendique libertatem, quam semper detestor, irritare atque extorquere solent.

Has Historici leges, quamvis me affecutum haud glorier, in hac tamen mea lucubratione Historica assequi conatus sum, & si quid (& quis sine nævo?) in eadem improvide peccavi, non prævæ voluntatis vitio, sed humane imbecillitatis necessitati adscribi rogo: gaudeo autem, de his quoque mendis admoneri, ac corrigi, præcipue ab iis, qui absque convitiandi animo, sed amica reprehensione, eodemque mentis candore, quo hanc conscribo Historiam, eam quoque castigare dignabuntur. Haud quidem moror censuras illorum, qui soli sapere sibi videntur, ac quicquid ab aliis prodit, tanquam spurium Theonino dente rodere certant, & maligno calamo, mordacique lingua passim tenues etiam aliorum lapsus perstringere solent, perinde ac si ipsi extra errandi periculum positi ceteros omnes solute & proterve arguendi imperium sibi solis demandatum haberent. Horum, inquam, acriorem etiam serulam, aut Orbilii sceptrum haud vereor; omnes enim, quotquot hodie

hodie eruditi Viri, præcipue ex Catholicis scripsere, eodem, quo Achilles fato geniti videntur, suosque Thersites habent, qui res etiam cum laude gestas probris obterunt: saniores autem ac vere eruditi ineptos hosce Momos silentio ac contemptu magis, quam calamo aut ratione refellendos censent.

Esfrœnis autem hæc cavillandi libertas non raro ex Religionum diversitate ortum trahit; sic Calvinistas in Lutheranos, Lutheranos in Calvinistas, & ambos in Catholicos Scriptores acerrimo stylo invectos comperimus; ex his enim, qui insano sectæ suæ fanatismo abripiuntur, quicquid ab aliis Religione sua alienis scriptum perlegunt, certe non veritatis amore, sed contradicendi studio, vel ex invidia, aut oppositæ Religionis odio carpunt, vilipendunt, ac mordaci censura perstringunt. Pervolvatur Literaria Scriptorum Historia a Guilielmo Cave edita, & me Hercle, quilibet a partium studio alienus Scriptorem illum, cujus opera præfatus Caveus ibidem recenset, mox Religione Catholicum, etsi id ignoraverit, fuisse dignoscet ex conjectis in ejus libros cavillis, acerrima crisi, inofficiosis disteriis, & contemptu, quo ipsius scripta Guilielmus exagitat: quis non stomachetur immoderatas, livoremque spirantes notas, & censuras Petri Bælii, Weismani, Sagittarii, aliorumque plurium, quorum immoderatam vehementiam, satyras, livorem, ac maledicentiam ipsimet sanioris judicii ac moderatioris animi Protestantes damnant, atque a-

versan-

versantur. Similibus igitur fanaticis displicere haud curo, placere autem nefas foret: nefas, inquam foret, si, ut vanam ab illis laudem aucuper, non sine veritatis dispendio, ac propriae Religionis injuria fabulas, diſſidia, & invidiosa scomata in Ecclesiam, Pontifices, Præsules, Monachos &c. a Seditariis effusa meo quoque calculo, servilique complacendi studio comprobarem, vel ut hujus sæculi genio me conformarem, in ipsa Matris meæ viscera grassari præsumerem; longe aliena est a me abjecta ejusmodi servitus, nec aliam (si tamen vel minimam promeritus essem) exigo laboris mercedem, quam ut meam libertatem in profitenda veritate etiam odiosa, sed necessaria, meumque candorem æquitatemque in bonam partem vertant, nec me de immoderato in Catholicos favore, nec de odio in ceteros insimulent; non enim Catholicorum Panegyricas, nec Adversariorum Philippicas scribo, sed tam horum, quam illorum bene vel perperam gesta, sicubi res, factique veritas exigat, refero; si quæ minus placeant, in illos, qui ante me scripserunt, querendi ansam rejiciant: ego autem optarem, ut hi unico visus compendio intueri possent omnia monumenta, ex quibus hanc meam concinnabam Historiam; inde enim compertum haberent, quanta moderatione delinire, ad æquiorum partem inflectere, vel benignius salva rei gestæ veritate interpretari studuerim ea, quæ in Catholicæ Religionis odium ac detrimentum vel ab adversariis attentata, vel ab iis, qui suis scriptis  
hac

*hac in re meum prævenere calamum, nimia acrimonia, acerbitate ac impotenti animi fervore elucubrata fuere: si denique pauca quandoque a metipso acriori stylo contra eos scripta offenderint, non mihi, sed furiosis eorum Authoribus imputent, qui tam diu Catholicorum patientiam lædere solent, nec prius quiescunt, quam sibi accesserint adversarios, qui, læsum honorem, veritatemque vindicandi studio, vicem illis rependunt.*

*His pauca adhuc addere libet de genere ac modo præsentis continuationis meæ; præprimis igitur monitum volo benevolum Lectorem, ne in hac lucubratione mea phaleratum sermonem, aut sublimioris styli nitorem exspectet; simplici rerum narratione clarus esse malui, quam crispata latinitate obscurus fieri: nec insuper in Annalistarum leges nimis religiose me jurasse deprehendet; haud quidem ignoro, quod Annales conscribendi ratio exigere videatur, ut ad illum duntaxat annum ea solum gesta rejiciantur, quæ intra hujus anni limites contingere, atque horum progressus, vel exitus illis reserventur annis, in quos incepta eventus continuatio vel finis incidit: nihilominus tamen sæpius ab hac lege recedendum existimabam, rerumque magis memorabilium narrationem seriemque uno velut contextu intra unius anni spatium absolvi, aut saltem rei progressum, exitumque paucis verbis, & strictim magis, quam pleniore enarratione prælibavi; non raro enim illos, qui priores Historiæ Fleuriancæ tomos pervolverant,*  
aut

aut publice ab aliis prælegi audierant, querentes percepi, valde tædiosum esse, quod incepta singularis facti narratio intercalari tot aliorum omnino disparatorum gestorum relatione interrumpatur, lectorisque attentio atque orexis in avidam exitus cognitionem excitata per prolixam aliarum rerum intercapedinem non sine molesto memoriæ tormento suspensa teneretur, & veluti famelica dimitteretur: neque facta illa, inquit Fleurius Abbas, de quibus annus, diesque, quo contigere, scitur, secundum exactam temporis seriem recensere semper consultum est; nam si sæpissime interrumpatur, valde exsucca erit narratio, fietque, ut gesta non cohærentia sine gustu perlegantur, & sæpe necesse erit ex Oriente in Occidentem, Roma Antiochiam commigrare, . . . & plurima vel sine nexu erunt ponenda, vel transitionibus longe quæsitis consuenda. Præstat aliquot annos prævertere, vel ad jam præteritos retrocedere, ut factum memoratu dignum a principio ad finem usque narrando deducatur (\*).

*Fateor insuper, quod quandoque Historiæ meæ politica, profana, & quæ exiguum cum Ecclesiasticis factis nexum habere videntur, immiscuerim, necnon in civilia bella, seditiones, aliaque profana excurrerim, id vero duntaxat tum a me factum reperiet Lector, quando in iis*  
*Eccle-*

---

(\*) Differt. I. §. 24.

*Ecclesie vel Religionis causa vertebatur, aut summi Pontifices in Principum dissidiis, & regnorum vel urbium negotiis partem habuere, aut ejusmodi eventus veluti futuri tumultus, & vexationis in Ecclesiam intentatæ prodromus existere, aut inde proficua Ecclesie accessio, gloria, vel incrementum emerit; proin alienas hæc excursionses haud ingratas fore censebam, eo quod prudens, solersque Lector exinde ad ipsam originem, fontemque ejusmodi vicissitudinum, ex quibus Ecclesie augmentum vel decrementum ortum traxit, facili negotio retrogredi poterit.*

*Non deerunt tamen, qui meum calamum in recensendis Scriptorum vitis librisque, fusius præcipue in hoc primo volumine excurrentem sugilaturi sint: varia autem sunt hominum ingenia, & multa his placent, quæ displicent aliis: desiderant nonnulli, non modo de Scriptorum nominibus, suarumque lucubrationum titulis, typi loco, atque editionis anno, sed etiam de ipsis Authorum fati certiores fieri: alii ex aduerso hæc notitias in aliis libris quærun, atque ab Historiæ Ecclesiasticæ commentariis exulare volunt: mediam inibo viam, utque horum fastidio parcam, illorum vero curiositati consulam, succincte Scriptorum celebriorum vitas, eorumque scripta, quæ ad forum Ecclesiasticum reduci valent, indicabo, donec a prudentioribus aliam terere semitam edoctus fuero.*

*Præterea in subjungendis animadversionibus criticis fors me plus æquo parcum esse censebit Lector: ast in ea fata rerum ac temporum incidimus,*

dimus, ubi nimium delicatus est hominum genius, ubi non pauci crises minime ad saporem coctas existimant, nisi mordaci sale ex Novatorum salinis deprompto condiantur: nihilominus non raro ea, quæ sanam merentur crisin, adeo claris indicavi verbis, ut quæ animo, tenuique meo iudicio conceperam, facile ac tutius sagax Lector proprio suo Marte assequi poterit: studiose Lectori sese in ejusmodi reflexionibus suam Phantasiâ exercendi copiam reliqui; gratius enim quandoque proprio palatui est pabulum, quod proprio labore in vastis pratis quæritur.

Ceterum alter hic continuationis meæ tomus Ordine quinquagesimus tertius, quem tibi consecro, Benevole Lector, præter alia hujus sæculi decimi septimi non minus diversa, quam multiplicia, eaque sat memoranda, per celebrem etiam exhibet controversiam, quæ per plures annos circa Gratie Divinæ efficaciam inter PP. Dominicanos & Jesuitas in Hispania, & Romæ coram summis Pontificibus agitata, ac tandem absoluta fuit. Enimvero ab Instituti mei ratione alienum foret, si hujus causæ merita utrinque exposita discutere, aut doctrinæ caput inter utramque partem controversum ad Theologicam trutinam revocare præsumerem: mearum partium duntaxat est, ea, quæ ultro citroque gesta fuere, libere ac ingenue proferre, quin ex eadem hac relatione, vel Auctorum testimoniis, ex quibus hanc Historiam deprompsi, aut pro hac vel illa parte vel contra alterutram in contentioso, ut inquit foro, quicquam fide publica



blica allegari posse, contendam: Haud tamen dissimulare valeo, quin fatear, vix ullum aliud in Historia Ecclesiastica factum reperiri posse, quod ob Authorem diversitatem, ac repugnantiam magis implicitum, magis ambiguum, cujusque relationes anteriores, ac præcipue novissimæ de partium studio magis suspectæ, ac circa cujuslibet facti veritatem sibi magis dissentientes esse videantur. Exstant quidem publicæ harum disputationum acta, celeberrimi Francisci Pegnæ testis locupletissimi, Sacræ Rotæ Romanæ Decani, qui hisce Congregationibus ipsemet præsens Diarium, conscripsit: Asservantur primigenia acta Gregorii Nunnii Coronelli, qui Sacræ Congregationi toto controversiæ tempore a secretis erat (\*). Insuper Jacobi Bossutii, qui unus e Consultoribus Romanis erat, necnon Thomæ Lemosii, qui ipse contra Molinæ Vindices in arenam descenderat, acta & Diaria exstant, asservanturque ea Romæ in Bibliotheca Angelica, Arce Sancti Angeli, atque in Archivio Barbarino. Hæc omnia sunt acta a Scriptoribus coevis, in dignitate Ecclesiastica constitutis, magnæ auctoritatis, ac integræ fidei Viris con-

b 2

scripta

(\*) De Coronelo Augustiniani Instituti Alumno Joannes Berti ejusdem Ordinis doctissimus Vir in suo Breviario part. 2. ait. Tot & tanta adversus Molinam scripsit, & ab aliis scripta collegit, ut nihil ad controversiam illam de auxiliis pertinens possit desiderari: inedita sunt tamen, & in Romano S. Augustini Archivio recondita.

scripta, qui in omnibus, quæ hujus controversiæ summam respiciunt, non sibi dissentiunt, sed unanimi voce in suis actis referunt, Molinisticos Defensores in arenam descendisse, cunctas Molinæ propositiones quinto etiam examine publice & accurate fuisse discussas, atque ab omnibus ferme Consultoribus fuisse iterata censura perstrictas. Hi omnes unanimi suffragio testantur (\*), accerrimum quemdam Molinæ Propugnatorem de corrupto D. Augustini loco palam a summo Pontifice fuisse reprehensum, his verbis: **Et hæc coram nobis (\*\*),** illumque præ verecundia illico exanimi similem corruisse, ac Neapolin delatum paulo post exspirasse: hi omnes præter cetera gesta uno ore profitentur, hujus causæ decisionem, victoria interim neutri parti adjudicata, in suspenso fuisse relictam.

Quis ergo historicus consultis etiam omnibus, usque rigidissimis artis criticæ legibus de horum eventuum veritate tot coevis testibus, tam communi suffragio, publicaque auctorum auctoritate comprobata amplius dubitare præsumeret; præcipue cum oppositæ partis Auctores nulla alia, præter allegata, hujus Historiæ acta, nulla alia Censorum judicia pro se proferre valeant, sed ultro ipsimet fateantur, acta conscripta in eorum favorem nulla extare, sed duntaxat orationes & declamationes a Molinæ

(\*) Berti Eccl. Hist. Brev. part. 2. pag. 273.

(\*\*) L. 19. de Civit. Dei.

linæ Defensoribus recitatas (\*\*). Quis non omnibus sanæ criseos regulis religiose servatis suam hujus controversiæ Historiam juxta horum testium fidem concinnaret? quis prudens Historicus relictis publicis monumentis, coevisque testibus sequeretur privatas ac longo post tempore contrarias relationes ab iis duntaxat, quorum interest, conscriptas? quis sibi persuaderet, tot doctissimos, ac probatissimæ fidei Censores antiquam ac translatitia ab Apostolis serie in Ecclesia cognitam de Gratiæ efficacia Doctrinam ignorasse, aut eam ideo deseruisse, quia recens excogitatam, hactenus in Ecclesia non auditam ab ejus Patronis venditare, atque ab iis succlamari inaudierunt, quod illa non sit nova, sed cum Theologia imo ex Ecclesiæ incunabulis adoleverit: forte eruditis hisce Viris incognitum erat, quod omnes Novatores a sectæ suæ doctrina novitatis infamiam eodem argumento atque obtentu abstergere nitantur: fors vero simile est, quod tot Authores unice, ut sese uni Societati opponerent, junctis viribus, communique consilio acta depravare, vel nova procudere voluerint, cum tamen probe prospicere potuissent, quod illico ab oppositæ partis Doctoribus, necnon a duobus vel tribus illis Censoribus, qui Molinæ favebant, Et post producta hæc acta adhuc superstites erant, enormissimæ hujus falsitatis convinci potuissent?

b 3

Ex

(\*\*) Gabriel Henao in 1. part. prot. ad scient. med. n. 62.

Ex his ergo Historicus sanum hoc sibi efformabit iudicium; horum Consultorum acta, iudicia, ac censuras, prout in actis referuntur, re ipsa (an bene vel male parum Historici, duntaxat, quæ gesta sunt, recensentis interest) fuisse pronuntiatas: quid ergo adhuc ipsum morabitur, quo minus libero calamo in recensendis hujus controversiæ gestis hosce Ductores sequatur, illos, qui vere dicere poterant, quod audivimus, quod vidimus, oculis nostris, quod perspeximus . . . . hoc testamur, & annuntiamus vobis.

Verum, inquit alii, quo minus ad horum Testium fidem contentiosa hæc Historia de Auxiliis gratiæ elaboretur, obstare videntur plurima. Inclamatur nobis, hæc ipsa nuper laudata Historiæ acta nullius, aut saltem dubiæ esse fidei, diplomate Innocentii X. esse confixa, primum triginta circiter abhinc annis post terminatam hanc controversiam e tenebris eruta, ac denique, quod horrorem incutit, ex Jansenistarum Officinis producta. Nova sane Dedalea Labyrinthus tot inextricabilibus gyris, anfractibus atque ambagibus periculosissima, ad cujus exitum Apostolico etiam gladio omne filum esse præcisum innuitur: Verum in ipsis hujus Decreti verbis Ariadne ad suppetias prompta apparere videtur; non enim idem summus Pontifex ibidem ea, quæ in hisce actis referuntur, corrupta, supposititia, infida, falsa, fideque indigna esse pronuntiabat; sed duntaxat assererat, hisce  
actis

actis sub nomine Pagnæ, Patris Lemos, aliorumque tam pro sententia Prædicatorum quam Molinæ nullam omnino fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse, sed observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. Ita est: absit a nobis, ut hæc acta allegemus, tanquam ex eorum fide constaret, vel Prædicatorum sententiam Calvinii & Jansenii, vel Molinæ Dogma Pelagii aut Semipelagianorum nota esse perstringendam, observanda sunt religiosissime Decreta Pauli V. & Urbani VIII. severe inhibentium, ne alterutra doctrina ejusmodi censuris notetur: absit a nobis, ut hæc acta venditemus tanquam acta & monumenta, quibus Apostolica, publica & authentica jamjam accessit approbatio atque auctoritas, cum clare constet, quod ipsa hæc controversia adhuc in suspensio posita, necnon sententiæ promulgatio in aliud tempus dilata sit; liberum tamen adhuc tutumque erit in his actis recensita in suos inferre commentarios, quia vera sunt, etsi ea vera esse, non fide legali & publica, sed haud majori quam fide Historica constet. Eadem ratione Juris Canonici Scriptorum Declarationes Rotæ Romanæ, & aliarum Congregationum Decisiones typis impressas in suos passim commentarios transfundunt, etsi Urbani VIII. Pontificis jussu (\*) declaratum,

(\*) In Sacra Congregatione Cardinalium anno 1631. die 2. Augusti, item Sacra Rituum Congregatione die 11. ejusdem Mensis anno sequenti.

tum, eis nullam fidem a quocunque esse adhibendam, utpote nondum auctoritate Pontificia, nondum Præfetti, & Secretarii Sigillo munitis: si enim omnis etiam Historica fides eis esset derogata, adeo, ut nec pro Molinæ, nec pro FF. Prædicatorum sententia quantum ad ea, quæ mere Historiam concernunt, ac Historice in iis relata sunt, allegari possent, quam jejuna foret ementiti Theodori Eleutherii, seu Patris Livini Mayer Moliniana Historia de hisce controversiis, quæ potissima ex parte relationibus ex hoc fonte haustis constat: quam fidem merebitur præfata ejusdem Historia in iis, quæ in sui favorem ex iisdem actis allegat, & re ipsa sic agitata fuisse profiteatur; nullam huic Historiæ fidem esse adhibendam, fateri cogentur, nisi duntaxat ea, quæ suis favent, authentica & vera, illa autem, quæ eis adversantur, supposititia, fideque indigna esse, asserere velint. Prohibet ergo hoc Innocentii Decretum, ne ex his actis vel Prædicatorum vel Molinæ sententia probetur vel contendatur esse per Sedem Apostolicam proscripta, non autem vetat, referre ea, quæ circa hanc controversiam fuisse agitata, hæc ipsa acta de facti veritate testantur: quocirca in præfato diplomate ea nec proscribuntur, nec censura notantur, nec pro apogryphis habentur, sed in suo valore, qualem privatæ etiam revelationes absque Sedis Apostolicæ approbatione habent, relinquuntur.

Attamen

Attamen hæc ipsa acta primum aliquot annis post suspensionem hujus causæ litem laudari ceperunt? quid inde? ergo propterea sunt falsa? etiam P. Livini Historia longe serius cæpit prodire, ergo etiam hæc est falsa, supposititia, nulliusque fidei? Quot Sanctorum Patrum, aliorumque Scriptorum opera, Pontificum diplomata, Ecclesiarum, Urbium aut Nobilium privilegia diu antea fuere aliis incognita, ac primum laudari cæpta, donec exortæ quæstionis vel controversiæ occasio accuratiorem inquirendi in ea diligentiam, aut producendi necessitatem extorserat: quis autem ea hanc ob causam recens conficta esse, asserere ausus esset? quoties privilegia, vivæ vocis oraculo obtenta, occultaque ejusmodi gratiæ rescripta in scriniis latebant, primum forte urgentibus Episcopis aliisque, etenebris eruta? Insuper ne hæc acta de Auxiliis non illico post suspensionis decretum publici juris fuerint facta, prohibebat impositi silentii reverentia atque obsequium, quo violato & nimis intempestive decantato victoriæ triumpho necesse erat, ut ex ipsis actis facti veritas & præfælini gaudii vanitas manifesta fieret.

His vero actis merito fides etiam Historica abroganda esset, si in Jansenistarum Officiis juxta ipsorum placita fuissent fabricata: ast nec minimum quidem in illis deprehenditur, quod eorum principia redolet, vel iis favere potest: Præterea quis negare potest, a Coronello, Peggna, Bossutio aliisque hæc acta & Diaria fuisse conscripta, nullus tamen hucusque hos Authores

in quadam Jansenistarum Officina laborasse somniabat, nisi forte Jansenistis accensendus foret is omnis, qui Molinae non favet, juxta familiare eorum proloquium: noster non est, ergo Jansenista est. Num arx S. Angeli seu Hadriani castellum, Bibliotheca Angelica, Archivium Barberinum, Bibliotheca Chicciana & Althieriana, nec non Archivium supremæ Inquisitionis in Hispania, ubi primigenia hujus controversiæ acta asservata fuere, Jansenistarum Officinæ sunt? olim quidem impacta Jansenismi calumnia, illiusque metus opportunum erat medium Molinisticæ doctrinæ Profelytos creandi, hancque doctrinam latius diffundendi: inepte autem hoc terriculamentum ad enervandam historicam horum actorum fidem veritatemque impræsentiarum adducitur: Forte jam dudum, si Paulus V. Pontifex versatilis gratiæ systema damnasset, ejusmodi Officina fuisset erecta, atque in ea prævie obsequiosum silentium, ac distinctio inter quæestionem juris & facti fuisset fabricata. Fateantur ergo ingenue, hæc acta displicent, quia ipsis non favent: amplectuntur, ac deprædicant Bovii Carmelitæ censuram, & judicium quia ipsis semper propitium, etsi nullo alio ex fonte nisi ex hisce actis, hunc Regentem ipsis favisse compererint, etsi de iisdem actis nullam aliam habeant notitiam, nisi quam ex Historia Patris Serry, quem ipsi soli audacter, & nequiter Jansenistis accensent, hauserint. Denique, quo minus in hisce Congregationibus aditata Historice referantur, adhuc obstare dicunt imposi-  
tum



tum silentium, quod tamen alterutram sententiam censuris perstringere vetat, non autem gestorum veritatem recensere prohibet.

His igitur prudenti Lectori satisfactum, eumque omni scrupulo exemptum iri confido, si Historiam de auxiliis juxta horum actorum testimonia a me conscriptam invenerit: consilium forte meum mutassem, si Molinæ Propugnatores vel unicum aliud actorum exemplar in ipsorum favorem proferre possent, vel si alias Consultorum censuras & judicia præter illa, quæ his in actis contra Molinam recensentur, producerent, vel ea alicubi exstare docerent; nulla autem, in re tanti momenti, acta publica a Secretariis ad id Deputatis fuisse conscripta, nulla a Censoribus circa disputatas propositiones judicia fuisse pronuntiata, quis prudens credere poterit (\*) standum ergo illis est, donec magis authentica, magisque fide digna proferantur. Eapropter mihi polliceri audeo, quod etiam illi, quibus contraria infidet opinio, vel infesta adhuc inhereret voluntas, meam tamen sinceritatem, libertatem, candoremque, quo hanc concinavi Historiam, in bonam partem versuri, nec adeo inique de me judicaturi sint, ut pro bona mea voluntate malum reddere velint, si autem ne id quidem ab eorum humanitate, prudentia & bonitate mihi spondere ausim, conscientia meæ testimonio tutus cum Horatio concinam:

tamen me  
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque  
Invidia, & fragili quærens illidere dentem  
Offendet solido.

PRO-

(\*) Vid. infra Hist. I. CLXXXV. §. 75. pag. 194.